

III.  
NEOVIDENSIS

Nro. 91. (Neovidensis 1807. Nro. 90.)

---

*Ex Campis Elysiis*  
*Sermo Politicus.*  
*De Ignorantia nostra.*

---

Elysium-Meum.-Die Martis I. Dec. (Neovid. 10. Nov. 1087.)

---

S e n t e n t i a.

Scire nostrum quid est?

**D**emtis aliquot artificiosis agendi rationibus, atque experientia haustis veritatibus vix scimus quidpiam, ac ne vix quidem. Itafactum est, ut omni tempore argumento de rerum origine, de libertate, de æquilibrio, de voluntatum multiplicitate, de æstu maris, de lunæ in mundum actione, de natura & effectis Cometarum & sexcentis id genus aliis ultro citroque disceptaretur, disputaretur — mundum tradidit disputationi — & tamen quærere omnino licet: *quid scimus?*

Quid scimus inquam, hodierna quippe luce de veritatibus ambigitur, quæ olim ceu cardinales obtinuerunt; hac ætate ludibrio habetur, quod olim argumentum metus atque venerationis proponebatur; continua in errorum & lucis orbita versamur, & vere de

humana cognitione idem, quod de vita, dici, & prædicari potest: esse saltum circumlarem, in quo postremum in eadem, qua egressi sumus, statione consistimus, secundum leges palæstricas nos inclinamus, & de medio decedimus; quid didicimus? *quid scimus?*

Quid scimus inquam, Ante Copernici & Galilæi tempora, nihil de motu terræ circa solem, ante Newtoni ætatem nihil de gravitatis legibus, ante Herveyûm de sanguinis circulatione, Toricellium de aeris gravitate, & hodiernos Politicos *de imperii aestimatione* nequidquam scivimus; nihilominus in mundo nequaquam pejus ac hodie negotia decurrerant; putamus, videmur nobis doctiores, quin beatiore simus; imò fieri potest: ut posteri nostri infeliciores reddantur, utque argumentum habeant: nos inscios, nos ignorantibus esse? *quid scimus?*

Quid inquam scimus? fieri potest: ut Copernici systema novo evertatur, prout id Ptolomaicum evertit; quem latet illud: *multa renascuntur, quæ jam ceciderunt cadentque, quæ nunc sunt in honore*; fieri potest: ut hodie præjudicatas opiniones pro veritatibus habeamus, & quas ceu indisputabiles & evidentes in Physica, in Politica, in litteratura veritates agnoscimus; eas tamquam errores & præjudicatas opiniones posteri nostri rejiciant, considerentque. — Fieri denique perquam facile potest: ut humanum genus easdem vicissitudines subeat, quas singuli nostrum per-

pepsi sunt; mutamus cum ætate gustum nostrum, opiniones nostras, indolem animi nostri, quod profecto arrogantiam eorum mitiget est necesse, qui assiduo, & indesinenter cognitionum suarum amplitudinem & extensionem jactant; *quid scimus?*

Quid scimus inquam; Equidem eruditos cum commiseratione labia diducere conspexi, dum lunæ in terram actionem asseri audirent; vice versa: agrestes imo de pectore in cachinnos ducere vidi, palamque eruditibus insultare, dum consilii gratia Calendaria adirent; Systema Sympathiarum, & Antipathiarum ab hodiernis Semi-Philosophis nostris, qui naturæ potentiam secundum tenues notiones suas metiuntur, pro ludibrio habetur, quia iis solenne est, id, quod mente non comprehendunt, penitus inficiari; multasque authenticas res facti ignorantie arguunt, & demonstrant Sympathias & Antipathias — *Eheu! quid nam scimus?*

Quid? Fortassis plus scimus ex arte medica *Hipocrate*, qui tam exactus morborum observator fuerat, ut in 42 ægrotis occasione epidemice 17 solum letho eripere potuerit; an in similibus casibus, præprimis occasione *flavæ febris* — medici nostri pluribus salutem ferunt? quæ nostra in Philosophia scientia? an ea præstat scientia *Socratis, Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Senecæ*? quis nostrorum Philosophorum de animæ immortalitate disseruit elegantius *Socrate*? quis melius de mutuo hominum amore scripsit *Platone*? quis per-

fectius de Politica Aristotele? & quis ad-  
commodatius de Officiis vitæ Cicerone? &  
quis cum majore vi de opum contemptu lo-  
quebatur unquam magistro Neronis? — *quid*  
*scimus?*

Quid inquam scimus? Fortassis artem  
solanum tuberosum cibo melius adparandi  
Americanis, a quibus eum fructum accepi-  
mus; fortassis palato nostro magis arridet  
caro bubulina, & brassica, quam, quibus  
majores nostri vescebantur, glandes? fortas-  
sis, imo certe, nobis placentæ anserino jeco-  
re conditæ gratiores sunt, crudis, quos bo-  
ni nostri olim Germani in convivis instar  
maximarum leuitiarum mensis adposuerunt,  
anseribus? at sumus ne tam fortes, tam ro-  
busti quam majores nostri; qui 120 pondo  
gravem lorica in pectoribus suis gestarunt,  
& se mutuis contentionibus persecuti sunt;  
*quid scimus?*

Quid inquam scimus? an Physicus, an  
medicus commolitionem ciborum in corpore  
nostro explicando est? aut de conceptione  
generis nostri sufficientem dando declaratio-  
nem? vermiculus oculis vix perceptibilis, o-  
culis, alis, rostro, gutture instructus est,  
pollet affectionibus — stimulis iræ, male-  
volentia, generationis & aliis id genus ani-  
malibus necessitatibus; ut genus suum pro-  
pagat? ut organis suis utitur? *heu! heu! quid*  
*scimus?*



Quid inquam scimus *ex Politica*? id quod Ephemerides publicæ continent, exempli gratia sequentes relationes:

*Parisii de 5. Nov. Monitor* hodie sequentes litteras promulgat, quas Jussu Imperatoris Magnus honorariæ legionis Cancellarius Præfecto nationalis Cohortis in Districtu aurei collis, *Durandean* expedit. Multa cum voluptate animi transmitto Dominationi tuæ Diploma, quo in collegium Legionis cooptatur, cui plane hoc ipso tempore vigore Cæsarei de 31. Decreti subscripsi; monumentum hoc tam honorificum benevolentiae excelsi principis mei non unum & solum præmium alacritatis plenorum meritorum tuorum, occasione adprehensionis prædonum, securitati Communitatis, cui D. T. præest, periculosorum; Sua Majestas mihi præcipere dignata est: ut suo nomine speciatim litteras ad D. T. expediam; eadem precatur: ut honor, cujus particeps redderis, quibusvis Provinciarum Præfectis, publicisque muneribus defungentibus, & quibus publicæ securitatis cura incumbit, validissimo sit incitamento; Eadem vult, ut palam constet: se inter eos, qui patriam adversus externos hostes defendunt, & eos, qui adversus civilis societatis turbatores, & internæ tranquillitatis inimicos strenuitatis edunt argumenta, nullum discrimen facere, hæc sunt verba, quibus heroum princeps usus. Fruatur Dominationio, & Collega! diu beneficio Imperatoris nostri — cum voluptate plane prospicio:

quo hæc animi sensu D. T. perceptura sit ;  
quam salutandi honorem habeo

„Subsc. B. G. E. L. Lacepede.“

P. S. Ornamenta, quibus deinceps utendi jus D. T. habet, Domino Generali Duci *Sionville* Commendanti 18 Divisionis militaris transmissi, quem vigore Decreti de 22. Messidoris. Anni 12. ad hunc actum delegavi.

Inferior Commissarius rei maritimæ Collegio Mercuriali urbis Niœæ sub 15. Octob. ex officio significavit: Præfectum Algeritanum continuo naves Genuenses, Italicas, Venetas, Neapolitanas, & generatim quasvis ex Italicis, Imperii Gallicani, provinciis venientes naves condigno honore non prosequi.

Ephemerides Cameracenses de 1. h. m. sequentia continent: Turba captiva Borussia, qui existens in hac urbe Contubernium militare excessere, pedetentim ad illud rursus revertitur. Videntur Jussa ad discedendum non recte intellecta esse, quippe eos solum captivos, qui Indigenæ ditionum ad Regnum Vestphaliæ nunc pertinentium sunt, nequaquam vero eos, qui subditi Regis Borussiae porro futuri, respexisse. — Opinio est: hujas Contubernium paullopost adeo frequens futurum, ac discessus tempore primæ sectionis fuerat. Si homines hi hyemem isthic transegerint, tum optandum foret, ut removen-

dis rudibus, quibus quarta urbis nostræ pars cooperta est, adhibeantur.

*Veselia de 6. Nov.* Jam ante tres hebdomades rumor ferebat: Anglos Insulam Rugiam occupasse; Eorum operæ pretium haud duximus de eo sermonem ducere; cuius notum erat: Anglos Hafniæ cessione distentos fuisse. Cum vero rumor hic falsus ad aures colonorum penetraverit, eo addito: legionem Magni Ducis captam esse, quo audito, multos parentes circa filios anxietas tenet; ideo partium nostrarum duximus declarare: rumorem hunc prorsus falsum & inanem esse; litteras quippe novissimas de legione Magni Ducis præ manibus habemus, in quibus de Anglis nec vola nec vestigium; bona pars Colonorum nostrorum in Penninsula *Wittow* stationem habuit, & bene se habet; parentes igitur, & cognati animo tranquillo esse possunt.

Anglicanæ paginæ ceu rem memorabilem referunt: in Universitate Limensi provinciæ Peruanæ pileum Doctoralem non minoris, ac 10000 Piastris venisse, contra hodie pretium ad 1000 Piastris decrevisse; causam decrementi non adferunt quidem, at probabiliter Colonia germanicorum pileatorum Doctorum, & speculantium eo expedita est, quorum civile pretium, cum relaxatione disputationis, & dissertationis inauguralis, nundinis iis nocumentum attulit.

---



In eadem hac Officina Belnayana sequentes, praeter complures alios, libri venales prostant:

Joannis (P. Fr.) Stimulus Compunctionis et soliloquii. Editio novissima caeteris emendatior. Accedit brevis Vitae Auctoris epilogus, cura, et studio Fr. Ildefonsi a S. Aloysio ejusdem Ord. in Etruria. Denique R. P. Bouhours Cogitationes Christianae pro singulis mensis diebus interpretate G. A. Belnay. 8. 1805. 45 xr.

Georch (Elias Jus Patrium Liber I. et II. in 8. 2. fl. 30. xr.

Elisa, avagy millyennek kell lenni az Asszonyoknak. 8. 1 fl. 30 kr. Charta scriptoria 2 fl.

Terzago (Nicol. Episcopi Narniens.) Instructio practica de fidei Sacramenti poenitentiae juxta tenorem Doctrinae Ritualis Romani. Accedit: Philippi Terzago C. E. Narn. Can. Instructio practica de Impedimenti matrimonii, dispensationibus, et earum executionibus, cum aliis adpertinentibus juxta modernam Disciplinam in 8vo. PP. II. a 1 fl. 45 xr.

Atala, vagy két Indus' szerelme a' Luiszianai Pusztákon. Kölve 45 kr. Posta papirosra 2 fl. Fényes papirosra 4 fl.

Svastics (Csétsényi Ignácz Magyarok' Históriaja, III T. maj. 8. 1805. 5 fl.

---